

fiunt: nunc incrementa lente exeunt, festinatur in damnum. Nihil privatim, nihil publice stabile est; tam hominum quam 7 urbium fatavolvuntur. Inter placidissima terror existit nihilque extra tumultuantibus causis mala unde minime 5 expectabantur erumpunt. Quae domesticis bellis steterant regna, quae externis, impellente nullo ruunt: quota quaeque felicitatem civitas pertulit! Cogitanda ergo sunt omnia et animus adversus ea quae possunt evenire firmandus. Exilia, 8 tormenta [morbi], bella, naufragia meditare. Potest te patriae, potest patriam tibi casus eripere, potest te in solitudines 10 abigere, potest hoc ipsum in quo turba suffocatur fieri solitudo. Tota ante oculos sortis humanae condicio ponatur, nec quantum frequenter evenit sed quantum plurimum potest evenire praesumamus animo, si nolumus opprimi nec illis 15 inusitatis velut novis obstupefieri; in plenum cogitanda fortuna est. Quotiens Asiae, quotiens Achaiae urbes uno tremore 9 ceciderunt! Quot oppida in Syria, quot in Macedonia devorata sunt! Cypron quotiens vastavit haec clades! Quotiens in se Paphus corruit! Frequenter nobis nuntiati sunt totarum ur- 20 bium interitus, et nos inter quos ista frequenter nuntiantur, quota pars omnium sumus! Consurgamus itaque adversus fortuita et quidquid inciderit sciamus non esse tam magnum quam rumore iactetur. Civitas arsit opulenta ornamentum- 10 que provinciarum quibus et inserta erat et excepta, uni 25 tamen inposita et huic non latissimo monti: omnium istarum civitatum quas nunc magnificas ac nobiles audis vestigia quoque tempus eradet. Non vides quemadmodum in Achaia